

divum parentem nostrum, dum in vivis esset, declaratis^p. Neque nobis verisimile sit, vos a maiorum vestrorum summa illa virtute vel minimum deflectere posse aut velle, qui erga reges suos et dominos, fice semper fuerunt et observantia singulari. Deinde et illud memoria tenemus, quantus clamor fuerit omnium, quod regnante divo parente nostro, extremis illis annis, ius non diceretur, neque iustitia administraretur. Sed sunt fortasse, quos dies ipsa manifestabit et vos aliquando cognoscetis, qui ad stabiliendam auctoritatem suam et commoda augenda, permagni id interesse putant, si nostrae auctoritati detrahatur aliquid; si nemo sit qui sublevet oppressos, qui ab iniuria vindicet, qui iustitiam administret, sed tanquam in quodam interregno ita vivatur, tenuiores a potentioribus opprimantur, aliena per vim eripiantur, caedes impune fiant et alia nefaria multa designentur. Quod quam vobis minime expediat, ipsi proculdubio intelligitis; vestra itaque interest magis quam nostra, ut nos cum aliis regiis muneribus fungamur, tum praesertim iure dicendo suum cuique tribuamus, atque ab iniuriis, si quae cui vestrum inferuntur, vos vindicemus. Nam quod ad nos ipsos attinet, eo loco sumus per Dei misericordiam, ut non cuiusvis iniuriae simus opportuni, ac facile nos ipsi defensuri simus. Ceterum de vobis agitur, de fortunis vestris, de salute et incolumitate vestra, quae certe non minori^q curae nobis^q est, quam nostra ipsorum salus et incolumitas, neque minus vestram salutem et fortunas vestras, quam nos ipsos conservatos cupimus. Unde enim nostra salus? Nisi ex vestra, unde vestra nisi ex nostra pendet salute? Neque caput absque corpore neque corpus absque capita salvum esse potest. Quare cum non alio vos loco habeamus, quam quo membra nostra nobis charissima, non quid nuntii a vobis postularent, praeter voluntatem procul dubio vestram, sed quid vobis expediret maxime, attendendum putavimus. Quamobrem et iudicia exercemus, qua summa possumus aequitate et defendendi vestri onus vobiscum una ferre non recusamus; quemadmodum id non debere libenter agnoscimus. Omnia enim vobiscum una pro vobis facere et pati parati sumus. Nulla ut res nobis accidere possit iucundior, quam si bene vobis esse, si citra cuiusquam^r iniuriam vitam quietam et tranquillam vos agere cognoscamus. Quam ad rem, omnes cogitationes nostras convertemus, neque de nostra magis quam de vestra salute solliciti semper esse volumus. Quod ut ita esse intelligatis, re praestare malumus cum res postulaverit, quam verbis pluribus vobis polliceri. In cuius rei fidem et testimonium sigillum nostrum praesentibus est appressum. Datum Piothreouiae in conventionem generali postridie festi sancti Thomae apostoli, anno Domini M^oD^oXLVIII^o [22 XII 1548], regni nostri XIX. Ad mandatum Sacrae Maiestatis Regiae proprium.

IV. LITTERAE RESTIUM

A. ^aPrimae restium litterae^a.

Sigismundus etc. Universis et singulis palatinis, castellanis, dignitariis, officialibus, terrigenis, nobilibus, advocatis, scultetis et civibus, ceterisque cuiuscunque status, condicionis et praecminentiae subditis nostris bona quaecunque terrestria, hereditaria et obligatoria possidentibus, et ad expeditionem bellicam generalem de iure vel consuetudine regni nostri obligatis, sincere et fidelibus dilectis, gratiam nostram regiam. Magnifici, generosi, nobiles et famati, sincere et fideles dilecti. Quandoquidem sublato ex hac vita magno nostro dolore, divo parente nostro, ad nos ad quem regni gubernacula vivo adducillo delata sunt omnis cura recidit prospiciendi, ne quid respublica regni nostri detrimenti caperet, quod magna undique circumstant ab hostibus pericula. Visum est nobis, ex senatorum nostrorum consilio bellicam expeditionem generalem edicere, ita ut edicimus praesentibus litteris quas primarum restium vim habere volumus. Mandamusque vobis omnibus ut ad equis, armis et aliis rebus, quae belli usus postulat

^p *W rękopisie: declarastis.* ^q *W SRP: nobis curae.* ^r *cuiuscunque SRP.*

^{a-a} *W MRPS, cz. V, vol. I, nr 183, s. 14, tytuł brzmi: Primae restium litterae de expeditione bellica generali preparanda, propter pericula reipublicae a hostibus imminencia, in comitiis generalibus Piotrcoviae constituta.*

parati sitis, ne nos imparatos hostis opprimat, atque ut simul ad locum vobis designaverimus, sine ulla mora conveniatis vim si quae regno et dominiis nostris inferetur propulsaturi. Interea autem iudicia exerceri volumus, quoad tertiarum restium litterae a nobis missae fuerint: praesentes autem quisque ad viciniorem sibi perferendas curet, volumus vero, [ut ultimus] ad capitaneum loci remittat, sub graui indignatione nostra bonorumque confiscatione aliter non facturi. Datum Piothrcouiae postridie festi sancti Thomae apostoli anno Domini M^oD^oXLVIII^o [22 XII 1548], regni [vero nostri] XIX. Ad mandatum etc.

B. ^bSecundae restium litterae^b.

Sigismundus Augustus etc. Universis et singulis etc. ut supra. Mandavimus vobis antea primis restium litteris, ut quae usus belli postulat, ea parata haberetis. Nunc iterum vobis hisce alteris restium litteris de more praecipimus, arma expeditis, equos et commeatum paretis, atque ita instructi sitis, ut simul ac tertiae restium litterae missae a nobis fuerint, quibus locum in quem vos convenire oporteat designabimus, nulla mora interposita, ad diem constituendum conveniatis. Interea autem iudicia exerceri volumus, quoad tertias restium litteras non miserimus. Litteras autem praesentes quisque viciniore perferendas curet, ultimus vero capitaneo loci eas remittat, sub gravi indignatione nostra et bonorum confiscatione aliter non facturi. Datum Piothrcouiae die et anno quo supra [22 XII 1548]. Ad mandatum Sacrae Maiestatis Regiae proprium.

^{b-b} *WMRPS, cz. V, vol. 1, nr 184, s. 14, tytuł brzmí: Secundae restium litterae, quibus nobilitati regni denuntiatur, ut ad expeditionem bellicam generalem omnes parati sint et in locum, qui in tertiis restium litteris indicatus erit, sine mora convenient.*